



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

Fides in Christum, an siue intra, siue extra Ecclesiam fueris, saluet. tit. 32

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

sub hac cæremonia ad laudem Dei agitur, hinc frustra Deus colitur. Sin autem cæremonia fit propter opus Dei, & ad illius maiestatem, sic habet ipsum opus promissionem & præmiũ. Sic cæci sunt sectarij, quod solũ externè respiciunt cucullam monachi & non ad opera Dei, fidem, castitatem, orationem, ieiunium & cæ. quæ sub ista cæremonia & vestitu frunt. Sic ad aquã foris, non quod designet. Et sic de omnibus alijs faciunt cæremonijs. sed nostrum est, obedire ordinationi & præcepto Ecclesiæ, & cæ.

*FIDES IN CHRISTVM AN SI
ne intra, siue extra Ecclesiam fueris, saluet.*

TITVLVS XXXII.

Primò, sectæ quatenus concordiam & unitatem Ecclesiæ soluant, & maxime catholicis resistent, (quorum unicũ istudium est, quo se cõtra omnes sectas defendant, scilicet vt unitatẽ Ecclesiæ seruent) docent populum, nihil esse cum Ecclesia, & nihil interesse, vbi fides CHRISTI teneatur, vel extra vel intra Ecclesiam, modò Deus honoretur, & fides in Christum teneatur. Nihil est, aiunt, quod Papistæ obijciant Ecclesiam catholicam: sufficit habere fidem in Christum. Nihil nocet, etiam si non fueris in concordia Papistica, nec prodest esse sub Papa & Imperatore: si Christum habes per fidem, membrum Christi es. Nam sic dicit scriptura Esaia 28. Omnis qui credit in illum, non confundetur. Et Paulus Roma. 10. Non est distinctio Græci & Iudei. Iohel 2. Quicumque inuocauerit nomen Domini, saluus erit, &c.

Secundò, fides nostra est, qua credimus constantissimè, quod est vna congregatio aut Ecclesia, per totum orbem, corpore dispersa, spiritu autem congregata. Vnde dicimus: Credo esse sanctam Ecclesiam: sanctam
proprie

propter fidem: vnam & catholicam, quia non sunt plures, sed vna est Catholica, Cantic. 6. Vna est columna mea. Ephes. 4. Vnum corpus, vna fides, vnum Baptisma. Qui ergo non credit esse solam vnam Catholicam Ecclesiam, in qua Christus regnat & praesidet, hic errat in vno articulo fidei, & per consequens Iac. 2. aliorum reus efficitur.

Subindè docet scriptura, quòd quicumque vult esse membrum istius vnicae Ecclesiae, quòd oporteat duo habere: Primò, fidem in Christum: Subindè, charitatem erga proximum. Fides attendit caput, id est, Christum, quòd infundit vitam gratiae in membra. Charitas attendit corpus mysticum Christi, id est, Ecclesiam, quae attendit, ne membrum, membrum vulneret, occidat, amputet, sed omnia membra sint in pace & dilectione. Sicut per omnia Apostolus 1. Corinth. 12. de naturali corpore exemplificat. Hæc ergò duo, fides & charitas, faciunt membrum Christi, & esse de Ecclesia catholica. Idèò 1. Ioan. 3. Hoc est mandatum à Deo, vt credamus in nomine filij eius Iesu Christi, & diligamus alterutrum, sicut mandatum dedit nobis. Et Galat. 5. exigit fidem, id est, in caput Christum, quae dilectionem operatur erga proximum.

Sola ergo fides absque dilectione, concordia & vnitatem proximi, non facit verum & viuum membrum Ecclesiae, vel corporis Christi mystici: charitas & vnitatis si deest, signum est, quòd hic abscissus est à vita corporis Christi. Idèò inquit Paulus 1. Corinth. 13. Si habuero omnem fidem, &c. Et 1. Ioan. 4. Qui dicit, Diligo Deum, habeo Christum per fidem, si odit fratrem suum, mendax est.

Ergo hæc duo, fides & charitas, id est, vnitatis, necessariae sunt, si quis vult esse membrum Christi. Charitas enim operatur vnitatem. Quoniam ergo sectarij diuidunt fidem à charitate, id est, vniione Catholica, & se in quibusdam rebus fidem tangentibus, vt circa
Eucha.

Eucharistiam, baptismum, de præmio operum & cæc. separant à cõmuni fide catholica, & in maximo odio pergunt contra Ecclesiam Catholicam: idèò Catholica Ecclesia non agnoscit eos pro veris ac viuis mēbris Ecclesiæ, donec reconciliati fuerint. Matthei 5. Reconciliari fratri tuo & cæc. Idèò Ecclesia Catholica, inquit Augustinus Epist. 164. perseverat in fide Christi, & diligentia charitatis, id est, vnitatis, siue suscipiant, siue non suscipiant hanc vnitatem schismatici. Non est ergo idem, credere in Christum intra vel extra Ecclesiam. Nam qui extra vnitatem Ecclesiæ credit, hic in odio proximi credit in Christum: sed hanc fidem non vult Christus. Nam mandatum est, inquit Ioannes 1. Ioan. 4. vt qui diligit Deum, diligit & fratrem suum & c.

Præterea, quare Christus tam exactè requirit à nobis fidem? quid tantum illius interest de nostra fide? Efficitur ne Christus potentior, ditior, gloriosior nostra fide? Minimè. Est enim in gloria patris, Philip. 2. Mar. vlt. non indiget nostra fide ad suam personam: sed idèò exigit, quod illa vnica fides debeat nos coniungere in vnum per charitatem, in eaque conseruare, tanquam membra vnici corporis mystici, vt solliciti simus seruare vnitatem Spiritus in vinculo pacis, id est, vt in vno corpore & vno Spiritu & vna fide viuamus, & c. Eph. 4. Sic in vnum corpus baptizamur, 1. Cor. 12. de vno & eodè pane comedimus, 1. Cor. 10. de vno Dei verbo propter Christum à peccatis absoluihur, ad charitatem & vnitatem confirmamur, edocemur: omniaque Sacramenta vocat nos ad vnitatem, & c. Ergo qui extra illam vnica vnitatem est, hic sacramenta ad pœnam habet & sine fructu. Maior enim & plus est vnitas, quam sacramentum, cæteris paribus. Idèò Augustinus ait Epistola 84. Multi putat nihil interesse, vbi fides CHRISTI teneatur intra vel extra Ecclesiam, modò in Christum credatur. Quod si

Quòd si hoc verum est, cur Paulus iubet fugere schismata, 1. Cor. 1. & cur rogat, vt vno ore &c. vnanimiter glorificemus Deū, & idem mutud inter nos sentiamus &c. Rom. 15. & cur idem Paulus 1. Cor. 13. & Ioannes 1. Ioan. 4. sic cōmendant vnitatem & charitatem, si vna & eadem res est. Item, cur sancti patres, Augustinus, Cyprianus, Athanasius, Hierony. Ireneus, tātas passi sunt persecutiones, si schisma nihil est? si nullū peccatum secta, cur sectę regnū Dei non possidebunt, Gal. 5. Aut cur non acceptauit Deus thuribulū Chore, Dathan & Abiron, Num. 16. Si idem est, extra Ecclesiam credere vel intra: cur Abelis sacrificium, & non etiam Cain acceptatur, Genē. 4. mendaciū ergo est, idem esse, credere extra & intra vnitatem Ecclesię. Et isto errore sic multi detinentur in secta, qui si scirent periculum, redirēt ad vnitatem. Pro hac igitur doctrina & veritate conseruanda pugnauit ab initio Ecclesia Catholica, & obtinuit contra omnes sectas & hereticos, q̄ non est idem credere extra & intra Ecclesiam. Odiū enim, quod facit schisma, impedit, ne extra Ecclesiam fides sit accepta.

Tertiò opponunt sectę, nos non habemus odium, sed propter veritatem & propter malam vitam Papistarum recessimus ab illis. Respondeo: Augustinus super Epistolam Ioannis tractatu. 3. super hæc verba, Exierunt à nobis, contra Donatistas, qui consimile argumentum prætendebant, sic loquitur: Si non habetis odium erga Catholicos, quid tunc faciunt in vna ciuitate duę Ecclesię? tot conuicia, detractiones, spoliaciones Ecclesiarum, & prohibitio, ne commercium habeant cum Catholicis? si esse vultis de vnitatem Ecclesię, cur receditis ab obedientia Ecclesię, Papę & Imperatoris. Cur non reconciliamini Ecclesię Catholicę? At dicunt: nos rectē credimus & docem⁹ in omnibus rebus fidei. Respondeo, Hoc negāt Zuigliani de Sacramentis, Rebaptizatores & Osiandrini
de iu.

de iustificatione, Maiorini de necessitate ad salutem
 piorum operum, Illyricani de caeremonijs & adia-
 phoris. Cur vos inuicem traducitis, & corruptores
 scripturæ nominatis? Cur non in eodem intellectu
 scripturæ vos subscribitis, si vitam quæritis, & pecca-
 tum oditis? Nonnè & vos oratis quotidie vobis di-
 mitti debita? Matt. 6. Ergo etiam peccatores & defe-
 ctuosi. Nam si dixerimus, quia peccatum non habe-
 mus, i. Ioan. 1. nos seducimus &c. Vbi manet scriptu-
 ra quæ dicit, Alter alterius onera portate. Gal. 6. Er-
 go mera malitia & odio tumultuantur & cæ. Osten-
 dant ergo Lutherani nunc in toto, quinã illorum sen-
 tentia rectè credant, & benè viuant. Sunt Zuinglia-
 ni, sunt Anabaptistæ, sunt Osiandrini, sunt alij atque
 alij sectarij, & horum singuli nullū præter seipos &c.
 Nolunt ergo diuidi charitas & fides. Vbi ergo deest
 charitas & vnitas, ibi neque fides vera est, neq; mem-
 brum Christi, aut Ecclesia, Christus diuisus non est,
 1. Corinthi. 1. Summa, Augustinus Epist. 48. Vincula
 schismaticorum tria sunt, ne ad vnitatem Ecclesia
 redeant: Primum est, honor & complacentia homi-
 num. Nolunt maledictis percelli. Alterum, quia nati
 sunt in parte Donati & educati. Tertium, quod pu-
 tant idem esse, intra & extra Ecclesiam credere in
 Christum. Sic Pharisei & Principes nolunt credere
 in Christum, quia magis dilexerunt gloriam homi-
 num, quàm gloriam Dei. Ioã. 12. & Io. 8. inquit: Pa-
 ter noster Abraham est, & cum illo etiam manebim;
 id est, volumus esse filij Abrahæ potius, quia sub eius
 fide nati, &c. Sic Iudeos retinet sua persuasio: credi-
 mus in vnum Deum: si illum habemus, quid nobis
 prodest Christus? &c. sed hæc omnia falsa sunt. Val-
 de igitur periculosum, viuere extra obedientiam Ec-
 clesie Catholice eiusque vnitatem, hoc enim est mo-
 ri. Nam Christus inquit: Vade, reconciliare fratrem
 tuum. Matt. 5. si munus recusat, vt sacrificium Cain propter
 odium,

odium, Gen. 4. nec te vult habere, si manseris in odio
& inobedientia Ecclesiæ, &c.

AN CHRISTIANUS SIT DO-
minus omnium traditionum.

TITVLVS XXXIII.

PR Imò, secte vt omnem obedientiam
tollant erga Ecclesiã & capita Ecclesię,
licentiam conferunt vulgo & rudi po-
pulo, ne curet præcepta Ecclesiæ in fe-
rijs, cibis, vestibus Ecclesiæ, in ordina-
tione caremoniarũ & cultuum Ecclesię, docent eos
esse liberatos per Christi passionem, ab omni tradi-
tione humana, esse Dominos omnium traditionum,
posse eas seruare vel non seruare ad lubitum, sicuti
Dominus imperat seruo suo. Sic omnis credens in
Christum, est Dominus: præcepta hominum prælato-
rum, sunt serui: ob id habet libertatem. Nã dicit Pau-
lus 1. Cor. 7. Vocati estis in libertatẽ, nolite fieri ser-
ui hominum. Gala. 5. Vocati estis in libertatem, ergo
liberum est obedire statutis Ecclesiæ vel non, &c. Et
Matth. 12. Mar. 3. Filius hominis etiam est Dominus
sabbathi. Vt ergo non peccabant discipuli frangen-
tes sabbathum, vellentes spicas, sic potest omnis Chri-
stianus frangere traditiones &c.

Secundò, notandum est, primò, qua ratione & mo-
do Christianus liber esse dicatur ab omnibus tradi-
tionibus & præceptis hominũ. Secundò, quibus mo-
dis & quo pacto non sit liber. Primò, eo modo liber
dicitur Christianus, vt si quis te interroget, Quid ti-
bi remittit peccata? quid te saluat? nunquid hoc fa-
cere potest homo, angelus, præcepta, caremonia, ve-
stis, cibus, potus, &cet? Dices, non. Quid tunc te
iustificat & saluat? Respondeo, Fides in effusum san-
guinem Iesu Christi: nam propter sanguinem crucis
I i
cius,